

QUÆSTIO XXIV.

Quare cum Paulus dicatur Vas electionis, non dicitur tamen plenus?

DE aliquibus vasibus fit mentio in Scriptura, ut de muliere Sunamitide apud Elisæum. 4. Reg. 4. n. 6. Cum plena fuissent vasa. Sic de mensura data iusto dicitur. Bona conferta, & super effluens. Luc 6. n. 38. Cur ergo cum Paulus nuncupatur, non dicitur etiam plenus? hoc dubium excitat D. Thomas in proœmio ad Epistolam Pauli.

Respondet Angelicus doctor, & ait: Hoc autem vas plenum fuit pretioso liquore, scilicet nomine Christi, de quo dicitur Cantic. 1. Oleum effusum nomen tuum. Unde dicitur, ut portet nomen meum; totus enim videtur fuisse hoc nomine plenus. maxime denotatur vas plenum cum ei datur ut portet nomen meum, hoc Sanctissimo nomine Jesu cuncta felicissime impugnantur, cum secum importet omnem abundantiam divinarum gratiarum, ac donorum, & bonorum Cœlestium.

Quod confirmat Sanctus doctor citatus, quod illa Columba missa à Noe post diluvium, venit ad eum ad vesperam, portans ramum olivæ virentibus foliis in ore suo. Genes. 8. numer. 11. tunc sic ait Angelicus Doctor citat. Quia enim olivæ misericordiam significat, congrue per ramum olivæ accipitur nomen Iesus, quod etiam misericordiam significat.

Hunc autem ramum virentibus foliis detulit ad Arcam, scilicet Ecclesiam, quando ejus virtutem expressit, & misericordiam ostendit. Cum olivæ sit Symbolum misericordiarum recte nomen Iesu denotat, quod est fons, & origo totius misericordiarum, tunc venit ad Arcam, scilicet Ecclesiam asportans secum omnem plenitudinem misericordiarum.

Iosue, ut refertur cap. 2. numer. 1. Misit igitur Iosue filius Nun de Setim duos viros exploratores in abscondito, & dixit eis: sic considerate terram, urbemque Iericho, qui pergentes ingressi sunt domum mulieris meretricis nomine Raab: quæ ei multa bona polliciti sunt, quod nempe ipsa, eisque familia, & insuper domus patris ejus ibidem numer. 14. essent custodita, & libera à communi incendio, ac devastatione: Unde una meretrix potuit tot, & tanta bona impetrare, recepit in domo sua homines deferentes umbram nominis Jesu, à quo missi fuerant indeque consequens erat, ut omnem donorum affluentiam exundaret. Divinus Chrysostronus sermon. in peccatricem habito inter Divi ephraei opera tom. 3. ait: Nihil mihi desperandum est; Novi Raab meretricem in porta civitatis misericordiam sui peccati obtinuisse. Quis enim servavit illam? Iesus filius Nave, qui figuram veri Iesu referebat, bona meretrici pro opere bono donans, & retribuens. Sic igitur tunc nomen Iesu salutem: & remissionem præbuit: Qui Jesum nominat, nil timeat.

Sæviente tempestate mittit Jonas in pelagum cap. 2. numer. 1. Preparavit Dominus piscem grandem, ut deglutiret Ionam: & vivum conservavit in utero per tres dies, & postea salvum, integrumque in litore vomit. Unde tantum beneficium habuit, ita ut quid simile non legatur: Origines lib. 1. in cap. 1. Job. ait: Hoc nomen Jesu cetus cum videret in Iona obstupuit; atque illa Iona eum, quem de navi susceperat, reddit, incontaminatum remisit, quem vivum suscepit. Ferox bellua marina totam suam ferocitatem ac furorem continuit, cum agno-

167. 4. Reg. 4. Luc. 6. D. Tho. 168. Cantic. 1. Iesu nomen omnia bona importat. 169. Gen. 8. D. Tho. Nomen Iesu secum importat omnem gratiam ac misericordiam. 170. Iosue 2. Iesu nomen auribus carissimum omnium bonorum. D. Chrysostr. 171. Jonæ 2. Origines. A. conspexit Iesu in Iona resurrexerat.

visset in Iona unam literam nominis Jesu, eadem enim est prima litera nominis Jesu, ac Jonæ, indeque unam Jesu umbram ita venerata est bellua, ut incolumem, ac integrum custodierit, ac tamquã navigio evehum in litore evomuerit. Hoc nomen Jesu cetus cum videret in Iona obstupuit.

QUÆSTIO XXV.

Quando committitur Divo Paulo deferre nomen Domini inter densas gentium, regum, ac filiorum Israel tenebras?

Asportabat Paulus secum Sanctissimum Iesu nomen, quod est fulgentissima Lampas illuminans, quæ totum mundum illustrabat, cuius radiis resplenduit Paulus, veluti magnum Orbis luminare divo bernardino sermon. 18. in Cantic. ait: Hoc denique nomen coram regibus, & filiis Israel portare iussus est Paulus, & portabat nomen tamquam lumen, & illuminabat patriam, & clamabat: Nox præcessit, dies autem appropinquavit, abijcitur ergo opera tenebrarum, & induamur armam lucis, & monstrabat omnibus lucernam super cancellum delabrum annuntians in omni loco Jesum, & hunc crucifixum. Totus erat Paulus splendens omnesque tenebras dissipans, non de suo nominis splendore, sed de fulgentissimo Iesu nomine prædicato ac exaltato, quod cum sit oleum effusum Cantic. 1. Omnium lampades accendit, omnes tenebras depellit, omnesque labores minuit, ac extinguat.

Ait Isaias 10. numero decimo-septimo de Christo Iesu loquens: Computrescet jugum à facie olei. Unde oleum habet tantam vim, ac efficaciam, ut ad ejus præsentiam omnis servitus, & captivitas pereat, ac destruat: Oleum est Sanctissimum nomen Iesu: Oleum effusum nomen tuum, & ad odorem hujus divini nominis omne malum, ac infelicitas abicitur, & summa omnium bonorum confluit copia, Gillibertus Abbas sermon. 26. in Cantic. ait: Computrescet jugum à facie olei, ex quo capimus nomine alio vocari, & invocatum est super nos nomen secundi Adami cuius oleum effusum nomen est. Cum invocatur nomen primi Adam non rumpebatur, nec computrescebat jugum, maxime verò destruitur, cum invocamus super nos nomen secundi Adam Christi Jesu.

Datur Paulo, ut nomen Iesu portet coram gentibus, Regibus, ac filiis Israel, ut omnium captivitatis jugum dissolvat, cunctisque vitam, salutem, lucemque proferat. Ait Amos capite quinto numero octavo de Deo loquens, Qui vocat aquas maris, & effundit eas super faciem terræ Dominus nomen est ejus. mare horrendum, & terribile tumescentibus fluctibus cunctis terrorem incutit: tamen Deus alta sua, providentia per occultos terræ meatus aquas ejus ducens, dulcescunt, & fecundant terram, ut uberes fructus producat, in quo visitur: Dominus nomen ejus. de quo mari loquitur Amos: non de hoc mari materiali, sed de alio spiritali, nempe Paulo: ita ibi D. Hier. Divus Hieronymus & ait: Paulus Apostolus, quasi turbo violentus, & sæva tempestas tumescens maris gurgites persequatur, & subvertere nitebatur. Ecclesiam Dei; Qui vocatus à Domino effusus est super faciem universæ terræ, ut prædicaret Evangelium de Hierosolymis usque ad Illirium, usque ad Hispanias tenderet, & à mari rubro

172. D. Bern. 173. Isai. 10. Gillibert. 174. Nomen Iesu destruit omne malum.

Paulus fecundat totum orbem, qui angustus erat. rubro, imo ab Oceano usque ad Oceanum curreret, & antea ei terra desiceret, quam studium prædicandi: Paulus veluti mare tempestuosum suis ferventibus fluctibus nitebatur subvertere Ecclesiam, tamen à Deo per internas inspirationes vocatus, ut prædicaret Evangelium, ac sanctum nomen Dei totum peregrinavit Orbem: Et antea ei terra desiceret, quam studium prædicandi: Magnus Pauli Spiritus non poterat cohiberi in toto orbe, sed illum transcendebat ac transgrediebatur, defecerunt Regna, & Provincia, non tamen defecit Pauli Spiritus ad prædicandum. Vide multa in Sybillatio de nomine Jesu.

Act. 9. n. 17. Et abiit Ananias, & introivit in domum, & imponens ei manus dixit: Saul frater, Dominus misit me Jesus, qui apparuit tibi in via, qua veniebas, ut videas, & implea is Spiritu sancto.

Num. 18. Et confestim ceciderunt ab oculis ejus tamquam squamæ, & visum accepit & surgens baptizatus est.

Num. 19. Et cum accepisset cibum confortatus est, fuit autem cum discipulis, qui erant Damasci per dies aliquot.

num. 20. Et continuo in Synagogis prædicabat Iesum, quoniam hic est Filius Dei.

Num. 21. Stupebant autem omnes, qui audiebant, & dicebant, nonne hic est, qui expugnabat in Ierusalim eos, qui invocabant nomen istud, & huc ad hoc venit, ut vincos illos ad Principes Sacerdotum.

Versiones, CUM EXPOSITIONE VIII.

175. Vers. 17. Abiit Ananias. Ad Domini mandatum obedientia illud exequitur. Imponens ei manus Arabicus: Manus suas. Hic autem manus impositione non dedit ei sacramentum Confirmationis, ut perperam ait Calvinus, sed ut Paulo daret suum visum, ut dicitur supra vers. 12. Vidit visum introitum, & ponentem sibi manus, ut visum recipiat. De hac manuum impositione loquitur Christus, Marc. 16. n. 18. Super agros manus imponet, & bene habebunt.

176. Saul frater. Olim omnes Christiani sic inter se loquebantur ob mutuam charitatem, & quia omnes erant uno spiritu sub uno spiritu, ut filii unius matris Ecclesie; Dominus Iesus, hoc sanctum nomen interponit, ut denotaret, quod illius virtute sanitas conferebatur. Quis apparet tibi in via, Beneficium collatum ei proponit, ut ad majora se disponeret, ut videas, & implearis Spiritu sancto, per Baptismum: Ananias ad duo missus est ad paulum, unum, ut manuum impositione visum reciperet, alterum, ut per Baptismum impleteretur gratia Spiritus sancti de minori proceditur ad majus, de visione corporali ad communicationem Cœlestium donorum.

177. Vers. 18. Et confestim ceciderunt ab oculis ejus tamquam squamæ. Syriacus: Eoque momento cecidit. Arabicus: Et illico decidit quiddam, & c. simile coricibus. Ethiopic. Remota fuit squama. In eoque momento, in quo Ananias manus super paulum imposuit, ab ejus oculis ceciderunt quedam pelliculæ, seu minutissima pelliculæ, quæ squamarum similitudinem referebant, de quo in quætionibus. Et visum recepit. Syriacus: Restitutus est visus ejus, & subdit Textus, Et baptizatus est. Nam licet, quando eum Christus vocavit, & ipse respondit, Domi-

Paulus fecundat totum orbem, qui angustus erat. 178. D. Chrysostr. 179. Galat. 3. 180. D. Chrysostr. Syriac. Arabic. 181. Luc. 4. 182. German. 183. Malac. 4. D. Chrysostr. Crux. cuncta illuminat.

ne quid me vis facere? per intimam contritionem condonata fuerint ejus peccata, hoc tamen includebat votum suscipiendi Baptismum. Ita dum hæc pauli historia refertur infra Actor. 22. ei dictum est: Actor. 22. Exurge, baptizare, & ablue peccata tua.

Vers. 19. Cum accepisset cibum, confortatus est; Arabic. Et cepit illico cibum, & vires. D. Chrysostr. Sumpto cibo convalescit. Ethiopicus: Comedit cibum confortantem. Nam, ut ait Chrysostr. Debilitatus erat ex itinere ex metu, & ex jejuniis, ac tristitia. Intimo nempe animi dolore, ac compunctione, & dicitur confortatus est, quod intelligit tam de cibo corporali, ad reficiendas vires naturales, quam de cibo spirituali, scilicet sacrosancto Eucharistie Sacramento ad corroborandas facultates omnes spirituales ad tot, & tantas disputationes cum Judæis & ad tot, & tantos labores sustinendos. Ita legit Ethiopicus: Comedit cibum confortantem, qui per antonomasiam est sola sacra Eucharistia.

Vers. 20. Et continuo prædicabat Iesum. Ex quo patet, quod ipse non habuit Evangelium ab homine, sed per revelationem Jesu Christi, ut ipse ait ad Galat. 2. In illo triduo, quo paulus extitit cæcus accepit scientiam in usum, & intelligentiam omnium Scripturarum, ac Mysteriorum Christi.

Vers. 21. Stupebant autem omnes ex tam subita, & repentina mutatione, & ipse paulus, ut ait Chrysostr. Non erubescibat mutationem, neque formidabat destruere ea, in quibus antea clarescebat. Et dicebant Nonne hic est, qui expugnabat in Ierusalim? Syriac. Qui persequatur eos omnes. Arabicus: Qui perdidit in Ierusalim, Græcus: Qui grassabatur, de vastabat; Quæ omnia indicant acerbum furorem, & servitiam pauli contra Christianos, non solum in Ierusalim sed etiam in Damascum Et ad hoc venit. Ethiop. Et propter hunc sermonem venit huc.

QUÆSTIO XXVI.

Quare ut Paulus visum recipiat, ei Ananias manus imponit?

HAc cæremonia manuum impositionis ad sanandos infirmos usus est Christus d. Luc. 4. n. 40. eamque dedit suis Apostolis, ut ægros curarent, Marc. 16. n. 18 & hac utitur Ananias, ut paulo visum restituat, cur non potius insufflavit, ut patrens meus Elias ad vitam puero dandum, vel cur non adhibuit baculum, palliumve suum extendit, ut Elisæus pallium Eli; Cur solus manus imposuit?

Respondet Germanus Ierosolymitanus Episcopus Germanus oratione in Crucis adoratione apud Geseuthorum tom. 2. ubi sic ait: Oculis privatus Paulus, qui recta non intuerentur, sed solum distorta, obliqua, & reflexa diligenter; nam squama, quæ de oculis ejus decidit, serpentina squama esse videbantur, & stituitur totum Christum in se recepit, & simul cum Cruce levatur. Imposuit Ananias manus suas in paulo signo Crucis adhibito, ut maxime utile, ac efficacissimum remedium ad infelicitatis caliginem propulsandam, & ad lucem, & supernorum mysteriorum agnitionem infundendam, Crucis signaculo ad altissimam, & supernaturalem cognitionem elevatur.

Ait Malachias 4. n. 2. Orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiae, & sanitas in pennis ejus. Quisnam est iste Sol justitiae tot, & tanta mirabilia operans? D. Chrysostr. homil. 3. de Cruce, & Latrone ait: Sola Christi crux est, quæ dissolvit tenebras, & regnum Demonum dissipavit, & omnes terrores malignantium abstulit, Crux nobis Sol justitiae facta est, ut illum nati misericordia ejus glorificemus Patrem;

